

Petrus de Vinea

*Ep. V 17 (Prompta uos
deuotione recipere scripta...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 17 (Prompta uos
deuotione recipere scripta...)*

1220-1266

Abbati et Conuentui cuiusdam monasterii, ut recludant fenestras propter aspectum secularium.

1. Prompta uos deuotione recipere scripta nostra conicimus, quae uobis maxime obseruantiam honestatis et regularitatis decorem tangentia destinamus, credentes in hoc mandatis nostris uota uestra concurrere, et litterarumstrarum seriem uestris desideriis conuenire.

2. Cum itaque nuper ad audentiam nostram peruenerit, quod domus, quas magister... de... habet in monasterio uestro, multa sint proximitate uicinae, ita quod utrisque se, fenestris oppositis, intuentur. Quod quamquam esset secularibus horridum, et uideri posset regularibus inhonestum, ipse tamen equanimiter hactenus, dum fratris eius, qui monasterii uestri regimini praefuit, mutuis hinc inde poterat recreari colloquiis, uicinitatis tantae coniugia celerauit.

3. Nunc autem, cum idem frater mortalitatis dicatur debitum exoluisse, nec deceat ipsum, in antea cum uxore seculariter conuiuentem, extraneos in domibus suis tam proximos habere respectus, ac Ordini uestro conueniat oculos a mundanis aspectibus sequestrare, deuotionem uestram requirimus et hortamur attente, mandantes, quatenus fenestras domorum uestrarum, quod libenter uos facere credimus, sic obstrui faciatis, quod per hoc eiusdem magistri placeatis affectibus, et per honestatis uestrae conflantiam bonorum exemplis operum alios informetis.